



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

X. Tres regni Francorum Reges æquo jure. Pares dicti. Explicata epistola Ludovici II. ad Basilium. Imperatoris titulus non est divisus. Quare petenda non est imperatoria potestas ex hoc capite.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

pressus est iis literis à Ludovico datis quæ significationem eandem verbis Regis & Basilienas inesse ostendunt; id autem solum præ ceteris eximium habere Imperatorem, quod à Pontifice Romano unctus, nomen illud adipiscatur. Quare, si verum amamus, Reges illi qui Ludovici Pij hereditatem partiti sunt, ita existimant, regnum Francicum, Germanicum, & Italicum cum supremo regnandi jure se à parentibus traxisse; solam autem imperatorij nominis dignitatem, & in Romanam provinciam auctoritatem, ab unctione Romani Pontificis tunc pependisse. Quod aperitissime confirmatur ex electione Caroli Calvi, quem statim ab obitu Ludovici II. Ioannes VIII. Imperatoris titulo insignivit. Sed necessaria fuit Episcoporum & Optimatum Italici regni electio, ut illis provinciis præesset; & Gallicanorum Procerum consensus, ut in suo Franciæ regno, Imperatoris nomen assumeret, quemadmodum docent Acta Concilij Pontigonensis. Imperij Romani status deinde immutatus est, translata in Othones Germanos à Pontificibus successoris deligendi potestate. Ex quo factum est ut Imperium Italici & Germanici regni provincias complexum fuerit. Itaque, ut initio monui, etsi Galliarum Reges eodem jure in regno utantur quod per leges Imperatoribus competit; ratio tamen petenda non est, ut visum auctori anonymo & Lupoldo Babenbergensi supra laudatis, ex divisione regni Francorum à filiis Ludovici Pij instituta, sed ex ea auctoritate quam gloriosissimus Rex Clodoveus in se Coronamque Francicam felici armorum eventu transcripsit.

Vnde patet plenam & integram Imperij auctoritatem, qualis in Theodosio ceterisque ejus ævi Romanis Principibus eminebat, in Reges Francorum, qui Gallias Codicis Theodosiani legibus ordinatas occuparunt, semel translata, ad posteros cum eadem amplitudine propagatam fuisse. A quo jure longè recesserunt Imperatores Germanici: qui certis quibusdam conditionibus astricti, specie Imperij retenta, vim ejus atque majestatem in rebus gerendis ferè amiserunt. Itaque vulgatum illud quod jactatur à nostris, *Reges in regno Imperatores esse*, de præcis Imperatoribus intelligendum est, non autem de Germanicis. Fatendum quidem est Principes istos etiamnum quadam prærogativa frui, ob eam præcipuè causam, quæ ruentem olim Imperatorum Orientalium dignitatem in Occidente sustentavit. Augustior enim ceteris Europæ regnis imperialem dignitatem

haberi, ob Petri Apostolorum principis sedem, quæ in provincia Imperij sita erat, testatur Concilium Romanum habitum sub Agathone in epistola synodica ad Constantinum Pogonatum. Par nominis Romani cultus (quod in titulis Imperatoriis hodie fulget, B. Petri memoria, & Summi Pontificis unctione consecratum) apud ceteros Christianos Principes non invito primum locum Imperatoribus Romano-Germanicis conciliavit. Ceterum ea semper fuit hominum nostrorum persuasio, Reges Francorum etiam illis ipsis Imperatoribus præcellere, si Romani nominis dignitatem, ob eam quam dixi causam, excipias. Quod apertè professi sunt Legati à B. Ludovico Rege ad Fridericum II. missi, ut testentur à Rege, ex consilio procerum, repudiatum fuisse Imperium, quod Gregorius Papa post Friderici abdicationem Roberto Comiti Regis fratri invadendum obrulerat. Sententiam ejus orationis quam ad Fridericum habuerunt, Matthæus Paris retulit his verbis: *Nec nos pulsat ambitio. Credimus enim Dominum nostrum Regem Gallie, quem linea regij sanguinis provexit ad sceptrum Francorum regendum, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto, fratrem esse tanti Regis. Quare ut Reges nostri majestate & dignitate illis non cedant, ita sine dubio potiores sunt auctoritate.*

X. Hæc auctoritas ita accipienda est, ut Reges in rebus humanis administrandis nec ipsius ecclesiasticæ potestatis consortium admittant: quæ ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere non possit. Quippe Magister edixit, regnum suum de hoc mundo non esse, se judicem aut divisorem terrenæ hereditatis non fuisse constitutum; docuitque Paulus Dei militem se non implicare negotiis secularibus, sed mysteriorum dispensationi, ut Christi ministrum. Quare eleganter Bernardus: *Non monstrabunt, puto, ubi aliquando quisquam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Intra: Ergo in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claves regni calorum. Mox: Habent hæc infirma & terrena judices suos, Reges & Principes terra. Quid fines alios invaditis? Quid falcem in alienam messem extenditis?* Huc referri possunt ea quæ ad discrimen utriusque potestatis explicandum superiore capite congesti. Quæ quidem cum vera sint in genere, ita & speciali modo in Gal-

Epist. Synod. Concil. Romani relata A. 1. V. sexcent. anno 650. Nos autem licet humillimi, sumus viris omnimodis in Christiana Republica, in qua beati Petri Apostolorum Principis sedes fundata est, cujus auctoritatem omnes Christiani nobiscum nationes venerantur & colunt, per ipsius B. Petri Apostoli revelationem, omnium gentium saluti esse monstrantur. De hac unctione videnda ep. Ludovici imp. ad Basilium.

Ioan. 10. Luc. 10.

1. Tim. 2. 1. Cor. 6.

Bernard. l. 1. de consid. c. 6.

Carol. in epist. ad
Had. apud H. uicm.
de qua libro 4. c.
12. §. 5.

Disputatio Clerici
& Militis.

liis observanda sunt; Regibus nostris ecclesiastica potestatis præcepta in regni administratione non admittentibus. Cujus auctoritatis retinentissimum se præbuit Carolus Calvus, qui Reges Francorum ex regno genere natos, non Episcoporum Vice dominos, sed terrarum Dominos, non Villicos & actores Episcoporum, sed veros Reges esse Hadriano II. graviter cum illo expostulans denuntiavit. Et Procures regni, ab antecessoribus Hadriani ecclesiasticum ordinem, quod suum est, non Rempubicam, quod Regum est, dispositam fuisse, Pontificiis mandatis refragantes dicebant apud Hinemarium. Hæc Gallorum sententia manavit in posteros, ut docet auctor disputationis Clerici & Militis, his verbis: Clericus. *Ius voco Decreta & statuta Romanorum Pontificum. Miles. Quæ illi statuunt, vobis jura esse possunt, nobis verò non sunt. Nullus enim potest de iis statuere super quæ constat ipsum dominum non habere. Sicut nec Rex Francorum potest statuere super Imperium, nec Imperator super Regnum Franciæ. Et quemadmodum terreni Principes non possunt aliquid statuere de vestris spiritualibus, super quæ non acceperant potestatem; sic nec vos de temporalibus, super quæ non habetis auctoritatem. Quæ de re uberius dicemus libro quarto.*

CAPVT III.

Synopsis.

I. Rex Francorum superiorem non agnoscit in temporalibus, nec ipsam sedem apostolicam, ex Innocentio III. Species Decretalis Per venerabilem. Spontanea Regis subiectio ius tribuit Innocentio, ut liberos Philippi Regis natalibus restitueret.

II. Quid sit liberior jurisdictio in dicta Decretali. Explicatur jus seculare, quod Regi & Summo Pontifici in Magalonensem Ecclesiam competeat. Quæ regum liberalitate ditata, & specialiter urbe Montispeffuli. Hominium ratione illius urbis præstitum Regi ab Episcopo. Et ipsi Episcopo à Dominis Montispeffuli.

III. De Comitibus Melgorij, qui beneficiario jure à sede apostolica Comitatum possidere professi sunt. Virile dominium Comitatus pervenit ad Ecclesiam Romanam, damnato Raimundo Comite Tolosano. Quæ jus suum in Ecclesiam Magalonensem transcripsit, servata pensione annua. B. Ludovicus supremum imperium illius Comitatus ad se revocavit.

IV. Testum loquendi genus Innocentij examinatur, cum agitur de feudo Montispeffuli. Supremum jus in id sibi competere putabat. Regem tamen in possessione hominij esse sciebat.

V. In rebus ambiguis temporali jurisdictio uti Pontificem, ex Innocentio. Ejus sententia expensa, & locus Deuteronomij explicatus. Detorius Innocentius in alium sensum ab interpretibus. Eorum interpretatio recepta non fuit in Gallia.

VI. Quæstio feudi non competit Ecclesie, ex Innocentio. Qui tamen cognitionem peccati ad se pertinere ait. Hæc sententia fora confundit, & in Gallia recepta non fuit.

VII. Ex opinione Theologorum, qui criminum secularium coercionem per censuras ab Ecclesia removebant, sola criminum ecclesiasticorum cognitione Episcopis relicta. Hæc sententia inducta in forum, porrecta deinde ad crimen mixtum adulterij; cujus animadversio in laicos vetita olim Episcopis à Curia Parisiensi. Ex veteri Ecclesie disciplina, quatenus Episcopis criminum cognitio competeret. Quod penè notum anonymo auctori anno 1303.

VIII. Bonifacij constitutio de Pontificis in temporalia potestate, à Clemente rescissa, quod attingit ad Gallos.

I. **G**ALLICI Imperij Libertatem Romanam Pontifices ingenuè & apertè professi sunt decretalibus epistolis quas in corpore Iuris Canonici compingij voluerunt. Etenim Innocentius III. de regno Francorum loquens, Superiorem in temporalibus minimè recognoscere docuit; relatione habita non solum ad quemcunque alium Principem secularem, sed etiam ad ipsam sedem apostolicam. Enimvero quia frequentissimè in hujusmodi disceptationibus laudari solet Constitutio illa, operæ pretium mihi visum fuit ejus speciem & explicationem aggredi. Vuillelmus Dominus Montispeffulani, expulsa Mathilde uxore, Manuelis Imperatoris Constantinopolitani nepte, ex Agnete pellice liberos susceperat, quos natalibus restitui contendebat ab Innocentio. A quo hujus beneficii arbitrium pendere ex eo probabat, quòd sedi apostolicæ liberum esset filiis naturalibus, etiam adulterinis, veniam natalium ad res spirituales & episcopatus adipiscendos indulgere. quæ indulgentia potiori jure ad res temporales trahi debebat. Hanc rationem juvabat exemplum Philippi Francorum Regis: cujus liberos natalibus restituerat Innocentius, et si apostolicæ sedi Rex ille quoad spiritualia tantum subesset; Guillelmus verò non tantum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia, Romanæ Ecclesiæ subiceretur. Hoc membrum, quod suis difficultatibus implicitum est, sic probat. Suorum bonorum partem hominij nexu ab Ecclesia Magalonensi pendere ait; eam verò Ecclesiam jure feudi à sede apostolica bona à Guillelmo possessa obtinere, unde sequatur Vuillelmum Ecclesiæ Romanæ secundo feudi gradu subjeci; *vassum* esse Ecclesiæ Magalonensis, & Romanæ *vassallum*, si libeat Capitularium verba usurpare. Respondet Innocentius, multum distare causam Philippi Regis à Vuillelmi negotio, & in personis majus esse discrimen. Philippum Augustum

Cep. Per Venerabilem. Quæ illi sunt legi. c. 12. §. Regis. Innoc. III. epist. 104.

En Flis de Regis de Magalon, p. 104. Rescript de la Roman.

Vide H. uicm. l. 4. c. 12.